

ria, quæ vicissim maleficiorum scientiâ peritissimum Jesum prodit, & furtim subduelo nomine Domini miraculis pollentem. Subinde historia Huldrici addit, semel statuto capiendi Jesum consilio, Judæos apud ejus hospitem pecuniâ corruptum egisse, ut medicatum illi vinum præberet, quo nominis ineffabilis oblivio induceretur; neque enim aliter in adversariorum potestatem venire potuerat. Ad eam rem cœlitus impetrandam, decretum solemne Jerosolymæ jejunium, specie quidem divinæ opi impetrandæ pro bello, quo Israëlita ab infidelibus Regibus premebatur, revera ut à metu viri populus liberaretur.

Cum igitur Jesus Christus die Propitiationis convivium habuisset cum Discipulis, eo potu medicato vino, in adversariorum manus incidit. Dilatum ejus supplicium à Rege usque ad Festum Paschatis, cujus temporis interjecto spatio missi per universum terrarum Orbem viri, si quis vellet rei patrocinium suscipere, ut coram Senatu se fisteret, invitarunt. Consultum eâ de re Sanhedrin Vormatiense, non quidem supplicio perimendum, sed arcto & perpetuo carceri tradendum Jesum censuit. Regi altera fedit sententia; quare in crucem actus Jesus, supplicio absumptus est. Porro quo tempore Jesus Christus occidit, nullum fuisse Jerosolymis Regem tam certum est quam quid aliud. Sed Judæi æquè omnia minora habent odio & invidiâ in Christianos. Historia Vagenfeili captum Jesum à militum manu statim post Festum Paschæ commemorat; à quibus scilicet militibus partim in fugam actos Discipulos Christi, partim occisos addit; tum verò lapidibus damnatum Jesum Sanhedrini sententiâ.

Nimius essem, si omnes æquè Judæorum eâ de re fabellas congererem. Qui eumque illarum refutationem voluerit, adeat Authores eam rem prosequutos, sive integras eas historias legat vel saltem earum epitomen, additâ eorum refutatione per Basnagium hist. Jud. l. 6. c. 28. Nos hic satis superque ducimus, si generatim aliqua animadvertantur in ideam, quam de Messia formarunt Judæi, sicut in calumnias, quas falsis rumoribus ubique de Jesu sparserunt. Ex his enim spiritus illorum dolosus & mendax satis superque convincitur.

Si Messie characteres accipites sunt & ambigui, si tempus pro ejus adventu præscriptum defluxit, quod illorum sententiâ certum est; quæ illis hodie spes eâ de re superest? Venturum nequam confident, si factæ de illo promissiones à certis quibusdam conditionibus, nempe à pœnitentiâ, & respicientia populi pendent? Sive Patres eorum errare contigit in eo, quod sibi formarunt, de Messia systemate, atque in sensu Oraculorum ad Messiam determinato; sive planè Judæi recentiores sal-

luntur, alios tribuentes Messie characteres, aliam de illo menti inducentes ideam. Porro in re tanti momenti instabilis illa & minus inter se constans gentis opinio nonne reprobationis, & cœcitatibus Judæicæ argumentum est apertissimum? Quid sibi expectandum sit, planè ignorant; sive ipsi, sive Patres eorum in errore versantur. Si eorum sententiâ obtineat, actum est de Prophetarum Oraculis; si falsitatis convincatur, Jesus Christus verus est Messias.

Porro erroris hujus universi duplex est causa, dolus nempe, & ignorantia. Ejus, qua gens universa laborat, ignorantia in tota hac Dissertatione argumenta passim exhibuimus. Frustrâ apud illos quæras historiam paulò diligentius expositam: frustrâ petim integrâ fide ex historia veteri documentum. Eorum doli & fallendi spiritus, in historiis, quas de Jesu Christo procederunt, si aliâ uspiam, elucet; quibus tamen ne rudioribus quidem imponeretur, ad eâ illa fraudem suam in apertum producit. Nec ipsi quidem suis hisce artibus caperentur, nisi major esset cordis in malo pertinacia, quam spiritibus errandi consuetudine cœcitas. Quæ verò insignis est gentis pervicacia & incredulitas, eadem demum accepto ignorantia & nequitia ipsorum referenda. Quis, rogo, eos homines omni destitutos scientiâ & probitate ad bonam frugem reduxerit unquam? Quis argumentis illos revineat, cum nec apertissimâ veritate moveantur, neque absurda quæcumque objeceris, insigniter solidos terreat? Rerum turbata series, insignes anachronismi, putida mendacia, fabellæ vix ac ne vix quidem sibi constantes, omnia hæc veritate sancta sunt apud ipsos. Apertissimos Scripturæ textus detortis interpretationibus corrumpunt; cum interim pronas & simplices rejiciant. Si quid illis Patrum suorum autoritas negotii fecerit, eam continuò toto abjiciunt animo; si quid nobis res aliqua favere videatur, statim illi sive in dubium revocant, sive è genuina sententiâ mentem advertunt.

Ex his autem, quæ huc usque deduximus, satis intelligere æquis Lectoribus dabitur, oppanso ante lumina velo infelicem hanc gentem in tenebris versari (b); nihil demum esse totam Hebræorum religionem, quàm pervicaciam & obstinationem; reapse nunquam amplius ab illis venturum Messiam expectari, nullam illius ideam luculentam servari, nihil tandem credi nisi corruptum, nihil sperari nisi quod terrenum sit & carnale. Frustrâ illos ad spirituales sensus elevaveris; parique de Regno Messie concipiunt ac Mahometes de Paradiso. Aperi, queso, Domine, obducta infelicium lumina, ut per totam terræ faciem consuecant lucem agnoscant: aufer cor lapideum, & da illis cor carneum.

h 2. Cor. 3. 15

DISSERTATIO DE RECHABITIS.

P Arcè admodum Scriptura de Rechabitis: sed satis illa, ut sublimem de gente ideam concipiamus. Genus erat hominum frugi & modestum, duris se inediis, fugâ ab hominum consortio, rerum omnium abdicatio exercens. Vitam agebant agrestem sub tentoriis, neglectis Urbibus & hominum commercio; sine latifundiis, sine domibus, sine certis sedibus. Habebantur ab omnibus tanquam Prophetarum imitatores, eorumque demum exemplar Essenii & Therapeutæ apud Hebræos, ac solitarii apud Christianos sectati sunt (a). Quem intimo corde fovemus, amor pro eo vitæ genere, cui nos sumus addicti, amore prosequi nos pariter jubet omnia similitudine quadam ad ipsum referenda. Gloriosum est nobis, si in eo quod Sanctissimum est & illustrissimum in Veteri Testamento, in Elia, in Elifæo, in filiis Prophetarum, in Rechabitis, in S. Joanne Baptista originem instituti nostri & primos nostræ professionis Patres agnoverimus.

a Hieron. ad Paul. ep. 13. Noster Princeps Elias, noster Elifæus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus... de his sunt & filii Rechab, qui vinum & siceram non bibeant. Theodoret. 1. Par. int. Vide 1. Par. 2. 55.

c Hegesipp. apud Euseb. hist. l. 2. c. 23.

d Vide Sanch. Corn. ad Jerem. 35.

De origine Rechabitarum varia est variorum sententia. Nonnulli è Tribu Juda viros accersunt; quod Theodoro visum (b), eâ ducto opinione, quod viri omnes longâ serie 1. Par. 2. deducti, ad eam Tribum pertineant; ex quo eadem inferenda censet de Rechabitis, quorum ibidem mentio occurrit. Sed deductis alibi argumentis demonstravimus, Rechabitas origine Cinoos fuisse, & quanquam regionem Juda occupantes, adhuc tamen ad eam Tribum non spectasse.

Autumârunt alii Levitas esse, vel etiam Sacerdotes (c), ex illo nempe Jerem. 35. 19. persuasi: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. Ex Rabbiniis quidam suspicantur, Rechabitas jure connubii cum filiabus Sacerdotum, sive Levitarum conjunctos, liberos genuisse Templi servitiis tanquam veros Levitas addictos. Quæ si vera sint, oportuit sanè, ut singulari quodam privilegio Rechabitæ ad sacrum munus admitterentur; nihil enim ad eam rem conferebant, quod è matre Levitici generis prodissent; Patrem enim Sacerdotem seu Levitam habere opus erat.

Visi sunt aliis (d) servitiis Templi addicti Rechabitæ, ut inferioribus à Sacerdotibus & Levitis ministeriis occuparen-

tur, veluti Gabaonitæ (e). Nathinæi (f), cæterique vocati filii servorum Salomonis (g), quos sanè constat secunda à Sacerdotibus & Levitis ministeria obisse, veluti ligna & aquam comportandi; id tandem agebant in Templo, quod mancipia in privatorum Aedibus.

Rechabitis tamen præstantius erat quam Gabaonitis & Nathinæis ministerium, quippe qui concinendis laudibus Divinis occupabantur (h), nunquam tamen nisi secundo à Levitis & Sacerdotibus gradu. Quæ tamen à me dicta sunt, juxta fidem Vulgatæ & plurium Interpretum, legentium: Canentes atque resonantes atque in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinoi, qui venerunt de calore Patris domus Rechab. Hebræus quidem commodè eum sensum pateretur. Verùm Interpretes alii reddunt (i): Ostiarii, & in obsequiis manentes, id est famuli, atque in tentoriis commorantes. Hi sunt Cinoi, qui venerunt de Chamath, patre domus Rechab. Quamquam enim ostiarii munus Leviticum erat (k), poterant tamen secundo ab illis gradu alii etiam destinari, ut in publicis solemnitatibus prioribus hisce ministrarent; scitum est enim, & nos supra insinuavimus, plures fuisse in Templo secundo à Sacerdotibus & Levitis gradu ministros. Ita e.g. Samuel Ephraimita (l); Anna Prophetissa è tribu Aser (m); Gabaonitæ & Nathinæi, qui ab Israelitis origine alieni è Chananæis derivabantur (n). Hi omnes in Templo suo singuli ordine ministrabant.

Novum prorsus & inauditum systema de Rechabitis Bolducus invenit (o). Namque ab ipsis Antediluvianis gentibus eorum originem repetens, omnium Authorem constituit Enos, è quo per posteros traductum genus post diluvium, deinde per Cinoos, Cinozcos, Hebræos, sive posteros Hebræos, Nazaraos, filios Prophetarum, ac tandem Rechabitas perpetuo amne defluxit. Unde verò Rechabitarum nomen? Audias Bolducum. Cum Elifæus raptum in Cœlum præceptorem suum Eliam spectaret, exclamavit: Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus [p]. Pariter Rex Joas vivens Elifæum discipulum Eliæ, postremo illo, quo correptus erat, morbo laborantem, ejulabat: Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga ejus (q): Hebræus legit: Pater mi, pater mi, Rechab Israel, 14. uphu.

e Josue. 9. 27. f. 1. Par. 9. 2. & 1. Esdra 2. 43. 58. 70. & 7. 7. 24. & 8. 20. g. 1. Esdr. 2. 55. 58. & 2. Esdr. 7. 57. 60. & 11. 3.

h 1. Par. 2. 55.

i 1. Par. 2. 55. Thirabim. Schimaim ju chabim. k 1. Par. 9. 17. & 16. 38. & 23. 5. & 24. 6. & 2. Par. 8. 14. & 22. 19.

l 1. Reg. 1. 1. & 3. 1. m Luc. 2. 36. n 1. Esdr. 2. 43. 58. & 7. 7. 24.

o De Eccles. ante Legem l. 3. c. 16. pag. 472. & 473.

p 4. Reg. 2. 14.

q 4. Reg. 13. 14.

upharaschau, i. e. currus Israel, & ejus equi. En nominis Rechabitæ originem. Rechabitæ enim filii sunt duorum Rechab Israel, i. e. duorum currum Israel; nempe Eliæ, & Elisei.

Joannes Jerosolymitanus de Inst. Monac. c. 25. Discipulos illos Eliseo tradit, illos verò juxta Bolducum 1. Par. 2. 55. Discipulos tradit Eliæ. Hoc Bolducus singulari argumento sententiam suam probat. Hi sunt, inquit Scriptura, Cinai, qui venerunt de calore patris Domus Rechab. Quis, rogo, calor iste pater Rechabitarum, nisi Elias, de quo Eccli. 48. 1. Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardens?

Neque hæc satis Authori, qui post derivat Rechabitas à curru Eliæ, Pharisæos ex equis ejusdem currus deducit. Ipsi autem qui antea Rechabita appellabantur, deinde Pharisæi dicti sunt, ductâ nominis etymologia ex Pharisæim, i. e. equi currus Eliæ. Porro Pharisæi, si Authori fides, nihil à Rechabitis abludebant, cum utrique à vino abstinerent; cujus rei assertorem tradit Evangelium, ubi vitio vertisse Jesu Christo Pharisæos legimus Matt. 23. 19. Homo vorax, & potator vini. Porro, inquit ille, Jesus Christus Esseniorum sectam profitebatur, ejusque adversarii Rechabitarum, quæ eadem erat ac Pharisæorum gens, cum perpetuam deducit eorum secta longâ temporum successione variorum nominum immutationem sensisset. Si quis talia audeat, nihil erit quod non inveniat in Scriptura.

Sed vera Rechabitarum origo in Cineis statuenda est (r), qui parvo numero Arabiam tenebant, sive Madianitidis portionem. Jethro socer Moysis, & Jonadab ejus filius Cinei appellantur Judic. 1. 16. qui unâ cum tota familia patris relictis sedibus, Hebræis per desertum in terram promissionis tendentibus accedentes (s), tandem cum illis Chanaanitidem ingressi, sedes fixerunt ad litus occidentale maris Mortui, non longè ab Engaddi (t), in sorte Juda; ac deinde successu temporis interiora Arabiæ penetrantes, Saulis ætate Amalecitis immixti leguntur 1. Reg. 25. 6. Quare ab eodem Principe expeditionem in Amalecitas susceperunt, se ab illis recipere jussi sunt. Porro antequam in Chanaanitidem transmigrassent, ad litus Orientale, sive Meridionale Maris Mortui in Madianitide sedes habuisse ex eo constat, quòd Balaam in montibus Moab constitutus, subjectam oculis eorum regionem spectaret (u).

Nec in vitis crediderim, Cineos Hebræorum ipsissimos esse Græcorum Troglodytas, quo nomine significabant populos in speluncis sive locis subterraneis degentes. Moyses enim, sive Balaam apud illum, Num. 24. 21. 22. ita verso ad illos sermone affatur: Robustum quidem est habitaculum tuum; sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quando poteris permanere? Absur enim capiet te. S. Hieronymus describens populos Judææ Meridionalis instar Troglodytarum

Ita Hebrai D. Thom. Hugo, Lyran. Dion. Cornet. alii.

Num. 10. 19.

Judic. 1. 16.

Num. 24. 21.

in specubus locisque subterraneis habitantes inducit [x]. Paria legas apud Bello-nium Observ. l. 2. c. 61. nec aliud insinuat nomen Cinæi, quàm viros in adiculis sese continentes.

Non est igitur cur vehementer miremur, si una eademque gens variis subinde appellata nominibus deprehendatur, ut Cuschim, Madianitarum, Cineorum, Salmoneorum. Postremum tamen perpetuò illis nomen à Chaldæo traditur. Alieno erant ab Israelitis genere, cum potius affines essent Chusch, sive Madian, vel etiam Chanaanæis, cum in populo recensentur quem jure hæreditatis traditurum se Abrahamo Dominus pollicetur [z]. Sephora uxor Moysis Chuschitis appellatur Num. 15. 1. & Jethro ejus pater Cineus dicitur Judic. 1. 16. tum & Sacerdos Madian Exod. 3. 1. Non infrequentes erant Troglodytæ in litore maris Idumææ, maris Mortui, sicuti & in tota fermè Arabia Petræa. Cinei sedibus locisque carentes huc illuc vagabantur, modò sedem sibi eligentes in specu, modò sub tentorio, modò in nemoribus palmiferis. Heber Cineus sub tentorii habitabat in medio Chanaanitidis, cum scilicet Barac & Debora rerum potirentur (z). Post reductos à captivitate Hebræos, viciniam Jabes Galaad tenuisse illos legimus 1. Par. 2. 55. Paulò ante obsidionem Jerusalem, non longè ab Urbe habuisse tentoria constat ex Jerem. 35. 10. 11. quare occupantibus omnia hostibus, ex agro in Urbem transmigrare coacti sunt. His omnibus documentis intelligimus, liberam fuisse populo sedes, illudque vitæ genus servasse, quod hodie Saraceni, sive Arabes Scenitæ, huc illucque, nullas habentes Urbes certasque sedes, discurrunt. Simili exemplo scimus, Hebræos toto quadraginta annorum spatio erraticam degisse vitam in deserto, & Patriarchas in terra promissionis peregrinos fuisse.

Genus igitur ducebant Cinei à Jobab, sive Jethro socero Moysis; & post ingressum Israelitarum in Chanaanitidem, regionem circa Mare Mortuum plerumque tenuerunt. Ab Israelitis verò nullâ potiori ratione distinguebantur, quàm agrestis vitæ genere, & Urbium ædiumque neglectu.

Ea sedit nonnullis (a) sententia, Jobab sive Jethro non patrem tantum sed & authorem ac institutorem Rechabitarum fuisse, quippè qui alio nomine etiam Rechab appellaretur; ac tandem Jonadab illum sub Jethro notum, inter posteros ejusdem sive Scripturæ phrasi inter filios habendum. Addunt insuper, vestigia quedam instituti Rechabitarum spectari in Heber Cineo, qui ædibus contemptis, sub tentorio degerebat, & facillè abstinebat à vino, cum Jabel Sifaram solo lacte potasset. Plus aliquid audeat Sanctius, namque Madianitas omnes, quorum portio erant Cinei & Jethro, Rechabiticæ vitæ genus secutos censet.

Duo Rechabitarum genera distinguenda censet Serarius loc. cit. veteres nempe & novos. Veteres ex Jethro repetit, agreste vitæ genus, sine certis sedibus & possessio-

x In Abdiam 1. Omnis Australis Regis Idumæorum de Eleuteropoli usque Petram & Ailam, in specubus habitantibus habet, & propter nimios calores solis subterraneis ruguris utitur.

z Judic. 4. 11. &c.

a Arias Montan. in Judic. 1. Vide Sancti ad Hierem. 35. n. 5. 6. 7. Serar. Tribares. l. 3. c. 9. Minervæ. c. 13. 14. 15.

nibus ducentes, virtutum & religionis exercitationibus penitus addictos. Recentiores Patrem habuisse institutoremque credit Jonadab unum epoteris Jethro & filium Rechab, qui veteribus gentibus nova plurima adicienda censuerit. Juxta hanc hypothèsim Rechabitarum institutum longius repetendum esset.

6. 4. Reg. 10. 35.

c Jerem. 35. 6. 7.

Sed communis recepta sententia tenet, Jonadab filium Rechab (b) primum fuisse authorem, qui veteribus populi instituti & abstinentiam à vino & ab exercitio colendi agri vacationem adjecerit, pro omni cibo spontaneis terræ gregumque fructibus adhiberi permittens (c). Vivebat Jonadab sub Jethro Rege Israel, quæ potissimum epocha statuenda, unde Rechabita dantur: Jonadab filius Rechab pater noster, inquit illi, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum. Et domum non edificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Hæc Rechabiticæ vitæ instituta, quæ unis illis familiaria erant, nec cæteris Cineorum familiaris communia. Reliqui enim Cinei erraticum vitæ genus sine certis habitacionibus debebant, ut de Nomadibus aliisque pluribus earundem regionum gentibus memoria proditum est.

Porro nullus dubitat, quin Jonadab vir esset amplissimus, & spectata virtutis, cum numerosæ posteritatis, & in toto Israele & Juda florentissima in spiritu pater haberetur. Quo potissimum in loco sedem haberet, incertum, cum erraticam vitam non secus ac ejus sectatores egisset. Legimus 4. Reg. 15. 16. Jethro vindicem Dei in Domum Achab suscitatum, Samaritam venisse, ut in omnes Sacerdotes & Prophetas Baal ultiore gladio animadverteret. Inter eundem Jonadab offendens, virum salutavit, quæsitque: Numquid est cor tuum relictum, sicut cor meum cum corde tuo? i. e. itane tu mihi, sicut ego tibi devinctus sum? Et ait Jonadab: Est. Tunc Jethro protensa in illum manu in suum currum assumpsit, addens: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Utroque Samaritam ascendente, tota simul familia Achab & Sacerdotes Baal exiit sunt.

Duravit institutum illud floritque ultra spatium 300. annorum, ad usque nequæ captivitatem Babylonicam. Cum autem sub Joachim Rege Juda, postremo eius anno, Nabuchodonosor arma duxisset in Jerusalem, totam latè regionem tenentibus hostibus, Rechabita sedem in Urbem transfulerunt, retento tamen pristino more, sub papilionibus commorandi. Eiusdem obsidionis tempore Jeremias jussu Domini discipulos Rechab conveniens (d), in Templi cellaria, ubi vinum pro Sacrificiis servabatur, deduxit, oblatoque illis vino ad potum invitavit; cui illi: Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Obedi-

d Jerem. 35. 6. &c.

divimus ergo voci ejus, ita ut non bibemus vinum cunctis diebus nostris vos, & mulieres vestra, & filia vestra. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor ad terram nostram, diximus: Venite & ingrediamur Jerusalem à facie exercitus Chaldæorum; & à facie exercitus Syria mansimus in Jerusalem.

Tunc factò Domini verbo ad Jeremiam, ejus vocibus ita Propheta ad populos Juda locutus est. Quoad usque obfirmato in impietate corde mandatis Domini refragatores eritis? Anne plus valebunt apud potiores eritis? Anne plus valebunt apud potiores mandata Jonadab filii Rechab, à vino abstinere jubentis, cujus verbis morigeros se ad hoc usque temporis præbuerunt, quàm Domini ad vos, qui Prophetarum caterorumque ministrorum suorum verbis admonuit, ut tandem relictis corruptionis vestrae sententiis, in rectam vos viam reducat, abjectoque externorum Deorum cultu moribusque, tandem saniora consilia recipiat; nec tamen a quas his dictis aures adhuc præbuitis? Quare hæc Dei verba, ait Propheta, vobis denuncio. Excitiam tandem in Judam & Jerusalem flagellum, quod antea minatus sum: Vocavi enim illos, & non responderunt mihi. Tum verbo ad Rechabitas sermone ait: Hæc dicit Dominus: Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus... propterea non deficiet vir de stirpe Jonadab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Hujus oraculi sensum alii aliter exponunt; sunt enim, qui de munere judicandi, quod Rechabitis demandatum credunt, interpretentur (e); sunt qui de perpetuo Nazareatu, cui tanquam à vino abstemios addictos volunt (f); sunt etiam qui de munere canendi in Templo, juxta vim Textus Latini 1. Par. 2. 55. (g). Receptor tamen sententia tenet, Rechabitas exinde destinatos fuisse muneri janitorum sub Levitis exercendo. Aptissimi enim præ cæteris huic ministerio habebantur, cum & domibus carerent, nec sub tecto, sed sub tentoriis jacerent. Aptissimè etiam à vino abstinebant, cujus usus Sacerdotibus, & Levitis, quamdiu in Domo Dei ministris occupabantur, interdicebatur. Porro Dei voluntas Prophetæ ore manifestata satis habebatur, ut Rechabita à Leviticis genere alieni, adhuc tamen sacro muneri addicerentur.

Nec diu quieti in novi muneris possessione manserunt; namque captâ Urbe occisoque Rege Joachim à Nabuchodonosore, Jechonias loco Joachimi in Regnum, æquè ac in impietatem successit; cujus proinde moribus post tres menses & decem Regni dies provocatus iterum Nabuchodonosor, Urbe expugnata, ditissima Templi vasa, unâ cum Rege omnibusque Optimatibus, Babylonem transfudit; non nisi colonis laxisque in Urbe relictis. Inter captivos memorantur Mardocheus & Ezechiel, nec immunes facillè relictis sunt Rechabita, quorum nomina legimus in fronte Psalmi 70. inscripti: Filiorum Jonadab & priorum captivorum; quibus facillè verbis insinuat, deducos illos in ca-

e Dion. Carthus. in Jerem. 35. f. Cornet. à Lapide ibid. g. Sancti. ibidem.